

Fateor uir doctissime ornatissimèq, me modestiæ fines
 transgressum, quod librum illum Antiquum, plus aequo
 apud me retinuerim. Proinde ueniam obnixè peto, et
 si qd hoc loco deliqui, insite nescio cui inclinationi, qua res
 antiquas si ad manus uenerint, maxima uoluptate et ad-
 miror, et lego, ascribere uelis rogo. Iucundum certè fuit,
 antiquorum Germanorum uocabula et prouerbia legere,
 Nec satis mirari possum, Nobiles etiam illo seculo, taliter
 qualiter Literis instructos, et Martialia ingenia cantilenis
 istis amatorij's mansueta reddidisse. Quandoqdem omnia
 Instrumenta, item Inuestitura, illa ætate usq; ad Conciliū
 Constantiense, Latina lingua conscripta fuerint. adeo Ger-
 manica lingua tanq; Barbara, olim aspernebatur.
 quæ tamen nunc temporis, ornatu et copia, Latinam
 si non superat, attamen æquat. Doleo interim, grauem illā
 maiorum nostrorum morum censuram, quæ nobiles in
 officio retinebat, unā cum celeberrimis hasti ludij's, quos
 Itali barbarè Torniamenta uocant, simul interij'sse:
 Duas Familias Swangouianam nempe, et Rinachianam,
 in isto libro inueni, quarum illa uxori meæ, hæc mihi
 affinitate coniuncta est. Quæ autem ex mea Gente
 nullus in isto appareat, existimo illos Ducem Sueuiæ,
 in quorum Dominio habitabant, et quorum Vasalli erant
 Aulas frequentasse. Pro ut in antiquo Hastiludionū libro
 uulgo *Turnier Bûoch*, uidere licet. Vbi Georgio à
 Schellenberg Equiti, à Hermanno Duce Sueuiæ, ut
 sub ipsomet Henrico Imperatore Anno Dñi 938 prima
 Hastiludionū fundamenta iacere, et Articulos eorundem
 unā cum cæteris ad hoc munus electis componere et
 in acta referre uellet, iniunctum fuit. Sed de hisce
 satis: Librum igitur prædictum tibi cum summa gratiam
 actione remitto, et è contra omnia ~~mea~~ mea studia
 et officia liberaliter et ex animo tibi offero: Scripsi et
 Generosæ Dnæ comitissæ simul et qd librum fidei meæ
 committere dignata fuerit, gratias immortales egi, com-
 moditatem idoneam optans, qua illud beneficium

reuerentia qua decet recompensare possim. Te interior
et atq. et rogans, ut ei librum una cum literis remitte-
re, et occasione data me inuisere ne graueris. Pergration-
quoq. mihi faceres si qd. de mea Familia forte ad manus
tuas perueniret, mihi communicares, quandoq. in tela
Genealogica Schellenbergiana texenda, iam octo uel plures
annos occupatus fuerim. Vale q. farestissimè et me
tibi amicissimū esse certò crede. Data in Castro nro
Randegg, 23 Decemb. Stylo correcto Anno 1797.

Tuus. ex Affe.

Ioannes. A. Schellen-
berg in Hüfingen.
Stouffen et
Randegg

72
73
m
us
75

87

Hyem. 20. 1788
26 51

Eruditione doctrina ac virtute praestanti
viro Bartholomaeo Schobingero Juris ubique
Doctoris amico suo omni observatione obsequio

